



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Vita Francisci Borgiae Tertij Societatis Iesv Generalis

Ribadeneyra, Pedro de

Mogvntiae, 1603

Eivsdem P. Francisci Borgiae De Ratione [C]oncionandi Sev Prædicatione  
Evangelica Libellvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45256**

EIVSDEM  
P. FRANCISCI  
BORGIAE  
DE RATIONE  
CONCIONANDI  
SEV  
PRÆDICATIONE  
EVANGELICA  
LIBELLVS.

INDEX CAPITVM.

- CAP. I. Præparatio ad concionã-  
dionunus, cum timore, & fi-  
ducia Dei 765
- II. Quale studium concioni ad-  
hibendum 772
- III. De meditatione ante con-  
cionem 776
- IV. De dispositione concionis  
782
- V. Quomodo se ipse compara-  
bit, & cum fructu alios iuua-  
bit 790
- VI. Suggestum ascensuro quid  
agendum 795
- VII. Concionatoris officium in  
suggestu 797
- VIII. Dimissa concione Con-  
cionatori quid agendum  
809

P. FRANCISCI  
BORGIAE

DE  
RATIONE CONCI-  
ONANDI  
LIBELLVS,

CAPVT I.

Præparatio ad cõcionandi mu-  
nus, cum timore, & fidu-  
cia Dei.



*VI ex officio, Superi-  
orumque iussu, de su-  
periore loco ad popu-  
lum de verbo DEI  
differere student, ij o-  
ptimo iure cum Propheta dicere pos-  
sunt, Timor, & tremor venerunt  
super me. Timor quidem ob mu- Psa. 145  
neris magnitudinem; tremor vero  
quia*

quia me ipse probe explorans, quæ doceo eadem re præstare debeo, ne minacem illam vocem audiam:

*Psal. 49.* Quare tu enarras iustitias meas, &c. Ex altera parte, si taceo, & talentum à Domino mihi creditum defodio, timor quoque, & tremor erit, ne aliquando ad me quoque

*Isai. 6.* pertineat illud: Væ mihi quia tacui. Nec enim modicæ culpæ affinis est, qui vbera, & lac doctrinæ filijs DEI esurientibus negat. Quod crimen qui committunt, crudeles perinde sunt, atque lamia; de quibus per Hieremiam Prophetam DEVS

*Ahren. 4.* sic exoptulat: Lamia nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos; filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto. Si suggestum concionaturus ascendo, vereor, ne negligenter me comparauerim, careamque zelo honoris DEI, & salutis proximorum: timeo ne  
ambi-

ambitione peccem, aut inanis gloriae studio: qua vitia vanum hominem, & sui amore occacatum comitari solent. Si, vt boni Ecclesiastæ, seu Concionatoris munus expleam, & diuino Spiritu, gratiaq; celesti opus est: quale nam hoc meum domicilium est, quod Dei Spiritus inhabitare velit? cum cor hoc meum latronum spelunca sit, nidus serpentū, antrumque demonum. Si Moyses, & Hieremias Exod. 40  
Hier. 30 se coram DEO purgant, detrectantque legationem, quod se indignos, & ineptos huic muneri, balbos item, & infantes cognoscerent: Si Isaias igne Isai. 6. indigebat, quo Angeli manu vrerentur, & mundarentur labia, prius quam caelestem nuntium proferret: Si innocentissima vita CHRISTI Luce. 10 Præcursor, iam inde à puero penitentia se sectatus, solitudinis asperitatem amplectitur, vt hic mundi Redemptorem, Agnumque DEI digito me-

- Matt. 3.* melius commonstraret: Si denique Saluator ipse antequam ad Euangelicam prædicationem aggredieretur, baptizari prius in Iordane voluit, & celos aperiri, vnde potestas docendi à Patre cælesti accepta hac voce, ab
- Matt. 4.* omnibus exaudiretur, Ipsum audite: Si desertum ingreditur, ieiunat, pugnat cum demone, & vincit: quomodo non timebo, qui in desertum non abiit? quomodo non tremam, qui in mundi horto desideo, nec celos mihi apertos video, sed infernum potius merito peccatorum? neque Patris æterni vocem parendo audiui, sed demonum potius sibila auscultavi? neque tentationes superavi, sed illis deditus captiuum me tradidi?
- Actor. 9.* Gentium Doctor Paulus humo affligitur, & oculorum lumen, ne mundum aspiciat, amittit: DEVS enim Euangelij prædicatorem humiliari vult,

vult, a  
hibet.  
terren  
& ate  
dram  
quar q  
do doc  
mili h  
vilitat  
gnosca  
neris,  
Verum  
neque  
dicend  
& ner  
tam i  
& Zel  
Tempe  
mores  
animu  
ti, atq  
gaudio  
Quare

vult, atque terrena hac aspicere prohibet. Quomodo ego superbus, & in terrenis rebus lynceus, in caelestibus, & aeternis cecus? qua fronte cathedram Sanctorum ascendam, & eloquar quae non satis intelligo? quomodo docebo, quae ipse non seruo? Humili hac sui cognitione, & pudore vilitatis suae se ipse concionator cognoscat, atque deiciat, magni muneris, quod sustinet, habita ratione. Verum, ne animo deficiat, cauendum, neque ignauus reddatur timore, ut dicendi, ac reprehendendi viribus, & neruis careat: neue amittat sanctam illam libertatem; auctoritatem, & Zelum huic officio pernecessaria. Temperantia itaque, & corrigendi timores illi amore, & fiducia DEI: animumque addat suae imbecillitati, atque tristitia, fortitudine, & gaudio Spiritus sancti neesse est. Quare in mentem illi veniat, quan-



tam DEI oculis voluptatem adfe-  
 rant, omnibusq; adeo calitibus gau-  
 dium, pedes predicantium Euange-  
 lium; sic enim per Prophetã Spiritus  
 sanctus ait: Quam preciosi pedes  
 euangelizantium pacem, euan-  
 gelizantium bona. Diffusus itaque  
 scientia, & talento, sistat se DEO;  
 petatq; sapientiam, gratiam, virtu-  
 tem, & fortitudinem; dicatque hu-  
 mili veritate: Domine, non est  
 sermo in lingua mea: & Domi-  
 ne labia mea aperias, & os meum  
 annuntiabit laudem tuam. Tu si-  
 DEVS, opem fers, vitam emendabo,  
 & per semitas tuas ducam fratres me-  
 os; & antea acta vita mea errata me-  
 dicinam illis adferent, atque remedium.  
 Docebo iniquos vias tuas, & im-  
 pij ad te conuertentur. Et si tu, O  
 DEVS, negas bonum esse, vinum no-  
 uum Euangelij tui mittere in vases  
 veteres, & laceros; qualis anima  
 mea

Isai. 9.

Psal. 138.

Psal. 50.

Psal. 50.

Matt. 9.

mea tot vitiis inquinata digna erit,  
quam tu manu tua renoues, & ad-  
ornes; ne in me liquor ille pereat, nec  
proximi misericordia tua priuētur?  
Cor mundum crea in me DEVS, *Psal. 50.*  
& spiritum rectum innoua in vi-  
sceribus meis. Et quanquam vitio  
meo manus habeo Esau, erit vox mea *Gen. 27.*  
Iacob, tractans magnalia tua, &  
misericordias; & acquiram mihi,  
& fratribus meis benedictionem  
tuam. Hac fiducia vade, o Ecclē-  
siastes gladioque accingere, quod  
est verbum DEI; & Spiritus  
sanctum ora, vt se verbis tuis in-  
sinuet, cordaque auditorum pe-  
netret; qui solus clauēs habet,  
& aperit quando vult; vt de-  
tur tibi sermo, quemadmodum  
Apostolus ait, in apertione oris *Ephes. 6.*  
tui cum fiducia, notum fa-  
cere mysterium Euangelij, pro  
quo legatione fungeris, ita

vt in ipso audeas, prout oportet loqui. Legatione enim fungeris, siue ex officio, quo teneris, siue ex obedientia, qua tibi hoc munus mādāt.

## CAPVT II.

Quale studium concioni  
adhibendum.

**H**AC preparatione, oratione, & sui cognitione instructus Euangelium legat, quod explanandum suscepit, factō prius conscientia examine, quam librum aperiat: puluis enim peccatorum oculos spiritus impedit, quo minus possit à vilibus *hier 15.* pretiosa discernere, vt oportet, teste Propheta, facere illum, qui DEI ore, & lingua loqui vult. Lecto Euangelio, sanctorum Patrum, Ecclesia Doctorum veterum expositionem consulat, & recentiorum eos qui ingenio suo magis quadrant: petatque à DEO Spiritum, quem cum illis Sanctis communicauit, in explicando

Euang.

Euangelio. Nam sine illo Spiritu frigide sepe dicet Concionator, & fructum ex auditoribus non colliget. Caueat diligenter Ecclesiastes, ne formulis, & phrasibus hereticorum utatur. Sanctorum Patrum scripta attente legat, nec audacter, quae ab illis dicta sunt, proferat; illi enim saepe, ut tempora tum ferebant, cum scriberent, & quo sine scribebant, non errarunt: nonnulla dixerunt, quae, si in hoc saeculo incidissent, non erant dicturi. Nec illorum verba citet in suggestu, impugnandi gratia, vel refellendi; id enim esset Sanctorum auctoritati derogare, & populum offendere. Habeat illos potius humili sensu magistrorum loco, usque additus sit, gaudeatque se instrumentum esse gloriae accidentalis Sanctorum, renouando honorifica praedicatione sanctam, quam docuerunt, doctrinam, litterisque mandarunt ad DEI gloriam,

riam, & Euangelij incrementum,  
 animorumque salutem. Vitabis  
 tanquam scopulos, inuenta à se, at-  
 que excogitata temere plebi obtru-  
 dere: quin potius receptam Scriptu-  
 ra interpretationem libenter ample-  
 ctatur, optimamque interpretandi  
 rationem existimet, Scripturam per  
 alia Scripturae loca interpretari, &  
 Patrum loca inter se componere.  
 Vulgatam Bibliorum lectionem re-  
 ligiose sequatur, sensum sequutus  
 sanctorum Augustini, Hieronymi,  
 Gregorij, Ambrosii, atque Chryso-  
 stomi: Glossam item, quam Inter-  
 linearem, & Ordinariam vocant,  
 non fastidiat. Scripturae loca inter-  
 pretari non audeat, nisi bene intel-  
 lecta. Tanquam rem sigillo obigna-  
 tam reuerenter Scripturam, & hu-  
 militer tractet, praemissa precatio-  
 ne, adhibitoque diligenti studio: sic  
 fiet, vt Deus abdita resignet, & qua-  
 si te-

si te  
 nim  
 hui  
 lis;  
 sequ  
 ctis i  
 tris,  
 conf  
 An  
 toru  
 diui  
 rium  
 rit e  
 disq  
 tanq  
 stis;  
 tere  
 diel  
 cem  
 dum  
 leda  
 mili  
 anch

si tenebris obducta reuelet. Solet enim quæ abscondit sapientibus huius mundi, reuelare ea paruulis; quod curiosi, & superbi non consequuntur, sed humilibus datur. Lectis iam diligenter interpretibus sacris, ruminet accurate, attenteque consideret, atque inuenta disponat. Animum inde sacrarij loco, & adytorum conseruet, haustis tanquam diuitiis ex thesauris DEI familiarium sanctorum Patrum. Meminerit eidem DEO clauem tradere, cordisque sui custodiam commendare, tanquam capsulam doctrinae celestis; vti vere cum Propheta Regio dicitere queat: In corde meo abscondi eloquia tua, vt nunquam peccem tibi. Sic itaq; munitus si interdum, vt fit humanitus, a demone ledaris, pudeat te tui, peniteatq; humiliter confugies statim, tanquam ad anchoram, ad Confessionis sacramentum.

Mat. XIII.

Psa. LII.

*I. Cor. 4.* Meminerit quoque thesaurum se portare in vasis fictilibus, quæ DEO commendat, vt thesaurus ille tutus sit à furto demonis, & inanis gloria. Quemadmodum fecisse accepimus beatum Franciscum, DEVM sicut idem appellando: Custodi, Domine, tuos ipse thesauros; cognoui enim furem me esse; alioqui eos ipse vel furto auferat, vel hosti tradam.

## CAPVT III.

De meditatione ante con-  
cionem.

*I. Re. 18.* **N**EC satis ducat Ecclesiastes, legisse, studiumq; adhibuisse, memoriaque complexum esse dicenda; verum in mentem illi veniat Elia Propheta exemplum, qui comparatis iis quæ ad sacrificiũ necessaria essent, DEVM orauit, ignem de celo mitteret, quo victima incenderetur: Et cecidit ignis Domini, inquit  
Scri-

Scriptura, & vorauit holocaustū,  
 & ligna, & lapides. Idē & ille pre-  
 cetur, oretque Dominum cum Hie- Thren. I.  
 mia: De excelfo misit ignem in  
 ossibus meis, & erudiuit me, Cre-  
 dat itaque absque hoc igne mansurū  
 crudum cibum, & insipidum, vt ne  
 conuiuæ quidem concoquere possint.  
 Hic verò ignis precando parari, &  
 meditando solet, vt expertus ille, qui Psal. 38.  
 dixit, In meditatione mea exar-  
 descet ignis. Hac meditatione in-  
 structus Concionator, ex Euangelio,  
 quod in manibus est, attributa hau-  
 viat diuinæ quidem potentia in mi-  
 raculis; sapientia verò in doctrina  
 Præceptionum, & Consiliorum; bo-  
 nitatis denique in misericordia effe-  
 ctis. Sumat & inde virtutes Fidei,  
 Spei, & Charitatis, humilitatem  
 item, patientiam, fortitudinem, ca-  
 stitatem, misericordiã, & reliquas.  
 Re enim explorata comperiet nullū



esse Euangelium, ex quo spiritualis homo, nulla vi allata, non queat haurire id genus excellentis virtutis. Sententias expendat, & verba; à quo, & ad quem prolata; quo fine, tempore, & occasione dicta: in omnibus enim mysteria reperiet, si DEVS illi clauem intelligentiæ Scripturarum dederit. DEVS enim æternus, qui primum loquutus est in Prophetis, post nobis loquutus est in Filio. Et hic quidem sermo non est in Euangelio mutus, sed ijs diserte, qui aures audiendi habet, loquitur.

Hebr. 1.

Fingat se præsentem sermonibus à CHRISTO habitis, & ad vultum auditoribus exprimat, voce potius, quam gestu. Obseruet minas, ad terrorem incutendum; misericordias vero DEI, & beneficia ad amorem Dei conciliandum. Timor enim animimum à vitis deterret, vt contra amor

amor ad virtutem inflammat. Induat Ecclesiastes eas animi affectiones, quas auditorum animis imprimere vult: nec enim alios mouet, qui non se prius mouerit, incenderit, atque inflammarit: vnde & quidam olim ait, si vis me flere, dolendum est primum ipsi tibi.

Horat. in  
Arte  
Poet.

Consolationi erit futuro Concionatori in laboribus, atque vigilis considerare CHRISTVM Dominum, cum illa verba, quae interpretanda suscepit, diceret, Patrem in Verbo diuino spectasse, & quasi iam coram esset predicaturus, quaque attentione auscultarent auditores animaduertat quoque, CHRISTVM hominem, pro illis se obtulisse, qui illum audirent. Speret itaque, concionestali patrocinio, ac preparatione fructum allaturas, DEOQUE Patri offerat, vt Filius obtulit, rogetque, vt verus infirmorum animorum

me-

medicus auditoribus medicinam im-  
 pertiatur Euangelij, quantum iis o-  
 pus esse non ignorat. Roget quoque  
 medicum illum Doctrinae panem,  
 quem ad suggestum inops affert, in  
 manibus suis multiplicari patiatur,  
 & auditoribus largiatur. Quod nisi  
 fecerit, neque qui plantat neque qui  
 rigat, adferent emolumentum; quin  
 potius damnum concionatori adfe-  
 ret praedicatio: quemadmodum im-  
 peritus medicus nocet egroto, si igno-  
 rantia culpa, aut negligentia, phar-  
 maca praepostere porrigat. Ad finem  
 meditationis dolorem expendat, quo  
 DEVS offensus angitur; & Zelum,  
 quo vni oportet, ut & illius amore,  
 & in omnium salutem mortem non  
 detrectet. Qua quidem in re si se pro-  
 fecisse sentit, argumento est, medi-  
 tationem bene spiritui suo cessisse: ut  
 Euangelium meditatam in libro A-  
 pocalypsis beati Ioannis quod ama-  
 rit &

ritudinem affert ventri, etsi in ore tuo videatur dulce tanquã mel. Sciat quanto plures lacrymas effuderit, tanto melius gustare faciet populum myrrhæ amaritudinem. Tandem dabit illi Dominus intelligentiæ lumen spiritualis; scriptum est enim: Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis, modo humili gratiarum actione recipiatur, & donum gratuitum, nulliusq; meriti esse sui agnoscat. Et si nullum alium laborum fructum recipiat è lectione, ante meditationem, illo contentus sit, memor illam etiam esse gratiam, donūque DEI. Certus etiam sit, si his bene utatur, maiora se accepturum. Meminerit præterea, præceptorem non solere alteram discipulo lectionem dictare, donec priorem bene teneat. Denique, si nihil recipiendo

Psa. 118.

humi-

humiliare se nouit, non exiguum  
Concionator fructum capiet.

## CAPVT IV.

De dispositione concio-  
nis.

**Q**VÆ legerit, meditat usq<sup>3</sup> fue-  
rit Ecclesiastes, ordine digerat  
necesse est: qui ordo loco libri erit,  
quo memoria causa quotidiana no-  
tamus. Dicit enim non potest, quan-  
tum ordo, dispositioque memori-  
am iuuat: si enim multa collegerit,  
magnamque rerum copiam in sug-  
gestum attulerit, sed rudia omnia,  
& indigesta; & confuse omnia,  
perturbateque dicet, & fastidi-  
um auditoribus sine fructu pariet.  
Deinde aut non intelligit auditor,  
aut nihil memoria retinet; & re-  
rum permistio efficit, vt nihil per-  
suadeas, voluntatemque non moue-  
as. In uniuersitatis creatione ordo  
docetur,

docetur, & in edificiis exstruēdis: vt  
 mediis concionibus Spiritus sanctus  
 in cordibus habitet fidelium. Primo  
 creauit DEVS (vt imaginamur) ma-  
 teriam primam informem: hinc lu-  
 cem, & terram, & ceteraq<sup>3</sup>, quæ mate-  
 riam & illustrarent, & adornarent,  
 donec ad hominem creandum per-  
 uentum est; omniaque suo loco col-  
 locauit. Idem concionatori sentio fa-  
 ciendum; qui locū primo eligat To-  
 picum, argumētum hinc ducet, ma-  
 teriamque doctrina, quæq<sup>3</sup> sermone  
 persuadere populo cupit: deinde con-  
 quiret, quid ea de re sancti Patres  
 docuerint, meditabiturque Euan-  
 gelium; hinc orabit eleganti ordi-  
 ne, omniaq<sup>3</sup> locis accommodis dispo-  
 net, partes digerēdo, donec intellectui  
 factum sit satis. Ad hæc habeat Locos  
 multos communes in promptu, sen-  
 tentiarumque copiam, auctoritatū  
 vim, rationū momēta, Metaphoras,  
 seu

seu

seu translationes, tropos, & figuras  
 sacra Scriptura, exempla, historias,  
 & similitudines: qualia nostra me-  
 moria singulis libris collecta, & edi-  
 ta legimus; vtilius tamen suis quisq;  
 vigilis, & lucubrationibus vtitur.  
 Caueat tamen, ne quid præter rem  
 adferat, fiatq; que suo loco, & tem-  
 pore placent, & iuuant; ea si loco  
 suo moueas, neque vtilia sunt, nec  
 persuadent. Prophetarum loca recte  
 explicata docent, & admiratione  
 ipsa mouent, fructumque afferunt,  
 præsertim cum DEVS ex postulat cū  
 hominibus, & ea prophetie vehemē-  
 ter mouent, quas in lege gratia im-  
 pletas videmus. Interdum vtile erit  
 Euangelium diei explanare ordine,  
 & ad verbum, hauriendo hinc, inde  
 que ad mores pertinent: quo potissi-  
 mum concionantis referri labor de-  
 bet. Nonnunquam verò, explicato  
 paraphrasi quadam Euangelio, peri-  
 odum

modum aliquam, vel sententiam Evangelij sumat, quæ luminibus illustrata, magnam dicendi, & amplificandi materiam suppeditabunt. Verum tanta in his varietas existit, quanta est ingeniorum, cum non solum quæ vni placeant, alteri displiceant, verum etiam plerunque quæ nobis hodie probabantur: postridie improbantur: vt quæ hodie componens sibi placebat, die sequenti rejiciat.

Concionis primum calamo scribere, prudentis est hominis, & periculum vitantis: per commodum ite sequentibus annis. Verum scribendi rationem variam varij tenent: alij compendio quodam quæ dicturi sunt, & summa capita notant: alij tribus, quatuorve folijs integram orationem diffuse scribunt; nec audent verba publice facere, nisi prius ea scripserint, memoriaque de scripto  
man-



mandarint: quod laboriosum est, & insipientium, meticulosorum potius, quam in concionandi artem expertum. Et verò his alligari verbis, dicentis vim (spiritum vulgo appellant) continere videtur, & refrenare, quominus libere audeat Concionator obiurgare, & vehementius, diuino Spiritu suggerente, dicere. Sunt & qui mediam viam, quam probo, tenent; ut vna pagina rem, de qua dicturi sint, summatim, & methodicè complectantur: quin & verba apposita ad rem ipsam adiungunt, ordineque omnia disponunt. Sic fit, ut liberiore, cum res postulat, campo excurrere possint, ad amplificandum sermonem, & eloquentia vim ostentandam; utque affectus mouere possint, subitario dicendi impetu. Et hec quidem ratio, mea quidem sententia, tua est, & frequens.

Phrases, dicendique modus, & verba,

verba, cauendum ne affectata adhibeantur, & plus aequo conquisita; hac enim & dicentis animum excruciant, & audientis. Vitanda contra & verba sordida, rustica, & barbara, & obsoleta: sit itaque sermo castus, quem nemo aestimator aequus facile reprehendat. Descripta iam concione, repetat interdum, vt memoria non solum infigatur, verum etiam vt decentibus verbis, gestuque, & actione exprimat, priusquam in publicum prodeat; praesertim si non magna dicendi venustate, natura beneficio, & arte polleat, nec usum concionandi habeat.

Sunt qui memoria locorum vtuntur, & artificiosa, quam ab Oratoribus, adhibitis imaginibus, didicerunt. Sed vidi his impediri saepenumero magis, quam iuuari. Mediam itaque viam hic quoque tenere iuuat: vt in margine orationis scripta,

scripta, sex, vel octo locis precipuis  
 notas pingat, vt crucis figuras, litte-  
 ras, & numeros: quibus memoria  
 comprehensis, fidere possit, si forte,  
 vt saepe accidit, memoria excide-  
 rent, qua didicisset; vel inter conci-  
 onandum turbaretur: ad quas No-  
 tas, tanquam ad anchoram, consu-  
 gere queat.

Opportunum tempus concionis  
 memoria mandanda, est pridie ve-  
 spertinis horis accurate ediscere, pri-  
 usquam quieti se nocturna, somno-  
 que necessario tradat, vt à somno e-  
 uigilans, species impressa occurrant;  
 cubitu vero surgens exigat à memo-  
 ria qua pridie, tanquam deposita,  
 tradidit. Orationem, quoque ad  
 DEVM matutinam ea de re insti-  
 tuere poterit, de qua verba ad po-  
 pulum factururus est, vt sibi ipse per-  
 suadeat, quod aliis dicendo persua-  
 dere conatur. Facilius enim id con-  
 se-

sequetur, vt alios in suam sententiam rapiat, qui sibi primum persuaserit, quod ab aliis extorquere nititur.

Neque verò minus studium est adhibendum in ijs, quæ dicenda non sunt, quam in ijs, quæ dicenda videbuntur. Verba itaque de re controuersa, & graui expendat, ne quid excidat imprudeti, quod cum Scholastica pugnet Theologia, Et si forte humanitus, vt fit, aliquod verbum imprudenter excidisset, aut sententia, quæ in malum sensum rapi posset, & periculose sonet; statim ipse, priusquam ad alia pergat, perspicue explicet necesse est: ne quod scandalum, aut offendiculum, quasi secius de religione sentiat Concionator, in auditorum animis relinquatur: nam, vt Propheta ait, Eloquentia Domini, eloquia casta. *Psal. 119.*

Quomodo se ipse comparabit,  
& cum fructu alios iu-  
uabit.

**M**ATER, vt lacte nutriat in-  
fantem, se alit primum, cu-  
ratque valetudinem, & solidos ci-  
bos mandit, quos in infantis os inge-  
rit. Ad eundem modum Conciona-  
tor, vt spiritualement escam populo,  
quem filiorum loco habet, commode  
præbeat, prius ipse cibum mandet, vt  
sic in os infantis ingerat. Quare sa-  
crificet pie, oret, ieiunet, vigilet, la-  
crymetur, flagellis se verberet, cor-  
pusque pœnitentia subigat spiritui,  
& domet. Sic fiet, vt peccata, quibus  
tanquam à demonibus multi occu-  
pantur, citius expellat; nam, vt  
Mat. 17. CHRISTVS ait, Hoc genus dæ-  
moniorum non eiicitur, nisi per  
orationem, & ieiunium. in præ-  
cando

cando DEVM, eiusdem Domini exemplum imitetur, qui, cum ad caelestem Patrem properaret, sic orabat: Pater cum essem cū eis, ego seruabam eos in nomine tuo; nunc autem ad te venio, serua eos, &c. *Ioan. 17.* His tanquam commendatitiis litteris, quas nobis vita abiens reliquit, uti ad DEVM Patrē oportet, qui eas preces, haud dubie, libenter accipiet.

Angelorum quoq; subsidium imploret, à Seraphinis quidem amorem petat, à Cherubinis scientiam, & lumen; de cæteris Hierarchiis sua dona postulet, quæ à DEO acceperūt. Præcipuè verò ab Angelo custode auditorum potestatem sibi fieri postulet, docendi eos, tanquã discipulos, qui eius sunt custodie commisi. Pudori quoq; sit, eos docere ausum, qui tales nacti sint & magistros, & custodes. Quorū si disciplina nihil profecerūt, quomodo tua, qui imperitus sis, & peccator, *doctrinæ.*

doctrina proficient? Roga item, vt inspirando ea suppleant, qua in te desiderantur, vel ob imperitiam, vel negligentiam tuam; vel denique ne ab Angelo tuo illud audias. Medice, cura te ipsum: ipse serua, quam fers legem; & fac ipse prior, quod iubes. Sic ex concionibus vtile quid hauries anime tue commodo. Da itaque operam, vt boni magistri officio fungaris, re ipsa exequendo, quae doces: vt de caelesti illo Doctore accepimus, qui coepit primum facere, quam docere.

At. 1.

Cum aliquam virtutem persuadere studiose cupis, eius Sancti auxilium implora, qui in ea excelluit, dum in terris versaretur. Exempli causa, de Patientia verba faciens commendate, tuaque D. Iob: si de Penitentia ages: Magdalenam appella: si de Continentia, & Castitate, Iosephum: si de Caritate eum disci-

discipulum, quem dilexit IESVS :  
 vt horum apud DEVM intercessione  
 singulas illorum virtutes consequa-  
 ris, & meritis, per DEI misericordi-  
 am, vt cum fructu populus & ver-  
 bum DEI simul audiat, & custo-  
 diat.

Verum cum ambitionis estus op-  
 pugnare, atque vtinam ne expugna-  
 re, concionantes soleat; praesertim si  
 audientium frequens sit concursus:  
 armet se ipse, pugnetq; cum hoste il-  
 lo, qui vipera instar cor ipsum, &  
 sanguinem bonum, tanquam vene-  
 no corrumpere solet. Huic malo hoc  
 esto remedium. Suggestum conscen-  
 surus, verocundia ducatur, & pudore;  
 quasi palinodiam eanere pergat,  
 & quae dixit, retractare sit iussus. Re-  
 vera enim, si recta rem ratione ex-  
 pendas, hoc agis, dum virtutem lau-  
 das, atque commendas; retractas ea,  
 quae turpiter antea peccado commi-

kk

sisti,



sisti, cum toties DEVM offendebas.  
 Se itaque, suaque opera accuset, &  
 damnet; ipse sibi praeo sit, & car-  
 nifex. Quare cum ita sint, quid,  
 o infelix cinis, si publice palinodi-  
 am canis, teque retractas, superbis?  
 si tuam ipse vitam condemnas, cur  
 extolleris? Triduo ante concionem  
 studium sit obsequi tribus Trinita-  
 tis personis: primo die DEO Patri  
 memoriam commenda, postero die  
 Filio intellectum, tertio die Spiritu  
 sancto offer voluntatem. Si quid  
 forte memoria excidet, Patrem cae-  
 lestem appella; si alicuius loci diffi-  
 cilis explanationem, vel arcanum  
 aliquid sacrae Scripturae inuestigas,  
 ad Filium confuge; cum te aridum,  
 & sine deuotione comperies, roga  
 Spiritum sanctum, vt sui amoris  
 ignem in corde tuo accendat: vt sic  
 omnes animae potentiae iustrument  
 loco sint DEO acceptae; quo illis  
 bene

bene ad illius laudem, & gloriam  
vtrius.

CAPVT VI.

Suggestum ascensuro quid  
agendum.

**C**ONSCENSURVS ad di-  
cendum animi puritatem pri-  
mis curet, & pure conscientia exa-  
men adhibeat, tanquam mox habi-  
ta concione, rationem reddere debe-  
at anima, & sistere se ante tribu-  
nal, iudiciumque iusti DEI. Qua  
de causa in mentem illi veniat, Fi-  
lium DEI IESVM CHRISTVM  
suggestum, & cathedram Crucis  
conscendisse, vt mortem ibi oppete-  
ret. Apostolum item sanctum An-  
dream ex Cruce concionatum, eamq[ue]  
miris antea laudibus extulisse, in ea-  
que exspirasse. Sic qui nunc verus  
est CHRISTI crucifixi Con-  
cionator, ita in suggestu stare debet,  
vt preparatus sit, cruciatus perferre,

Kk 2 imo

imo & mortem oppetere, in testimo-  
nium, & defensionem verbi D E I,  
quod concionatur, & Ecclesia Ca-  
tholica Romana, matris nostra, &  
magistra.

Cogitet etiam Ecclesiastes, se esse  
instar machinae, seu bombarda belli-  
ca, qua, tanquam ariete, muros su-  
perbos Babylonia quatere vult DE-  
VS, atque prosternere: se verò simi-  
lem esse pulueri tormentario, ficti-  
lem, & aeris instar grauem, frigi-  
dum: puluerem se esse nigrum, sor-  
didum, foetidum, & ad inquinandū  
alios p:um, quos tetigerit; qui pul-  
uis, vt finem consequatur suum, ignē  
illi applicare necesse est sancti Spiri-  
tus, qui illum incendat, vt olim,  
Pentecostes die, corda Apostolorum  
ignitis linguis inflammavit. Quo-  
dono vt potiaris, & luce, & igne, hu-  
militer, & cum fiducia recites Hy-  
mnum.

Veni

Veni creator Spiritus,  
 Mentis tuorum visita;  
 Imple superna gratia.  
 Quæ tu creasti pectora, &c.

CAPVT VII.

Concionatoris officium in  
 suggestu.

**I**N suggestu non turbetur animo,  
 neque sibi displiceat, si per paucos  
 ad concionem confluxisse viderit:  
 quin potius mirari oportet, existere  
 vnum aliquem, qui illum audire  
 patienter non recuset. Consideret,  
 tametsi pauci ad audiendum vene-  
 rint, nihil meriti sibi detractum iri:  
 imo tantum addet lucri, quantum  
 adimit, ne inanis gloriæ vitio tanga-  
 tur. CHRISTVM itaque, magistrū  
 summum, præsentem habeat, Con-  
 cionatorem caelestem, qui paucis sæ-  
 pe discipulis, & vni muliercule infi- Ioh. 4. 6  
 ma conditionis predicare non eru- 8a

Kk 3      buit.

buit, summo etiam & labore, & lassitudine longa via.

Paratus sit etiam silere, dato iam à comite silentij signo, tametsi vix dimidium dixerit eius, quod attulit: prestat enim per obedientiam silere, quam sine illa diserte loqui. Erit tamen prudentia ita sermonem temperare, vt vna hora absolui concilio queat; neque enim extendi ulterius debet: nec proficit auditor, imo tædio afficitur, nauseamque concipit etiam de auditis, si horam **Concionator** excedat.

Gestus, motusque corporis, persona & decoro conueniant, & officio: respondeant verò rei, de qua agitur. Cauendum ne in gesticulando nimis sit, vt **Histrionis** personam in scena agere videatur; nec contra ita quietus stet, atque immobilis, vt **statua**, non homo, videatur. Meminerit, actionem, & pronunciationem

nem principem esse Oratoris partem,  
teste Demosthene, & velut orationis  
vitam.

In Historiis narrandis vitanda  
prolixitas: fastidium enim pariet,  
tempusque, quo docendus potissimū  
populus est, amittet.

Cum peccatorem reprehendet,  
cogitet se ipsum reprehendere. Se e-  
nim peccatorum maximum aestimet  
necesse est. Id erit per facile: quando  
nullius, imo ne omnium quidem au-  
ditorum, tot errata agnoscit, quos  
ipse se commisisse conscius nouit. Sic  
docendo, fructumque auditoribus  
adferendo, ne ipse quidem expers e-  
iusdem fructus erit.

Non pigeat, pudeatque senten-  
tias, & praeclare dicta ab aliis concio-  
nari, licet sint aequales, & sui tem-  
poris scriptores: respiciens in exem-  
plum CHRISTI, qui cum Sa-  
pientia esset Patris, eadem tamen

Kk. 4. pra-

predicare non erubuit, qua ante il-  
 lum Praecursor Ioannes, nimirum de  
 Penitentia, in deserto concionatus  
 erat. Hinc etiam dicat Ecclesiastes,  
 saepe verba facienda publice, priua-  
 timque, exhortandumque populum  
 esse ad penitentiam. Ille enim sen-  
 suum ductu, & deprauata consue-  
 tudine, ruit in delicias, mundique  
 voluptates. Animaduertat, DEVM  
 per Hieremiam falsos appellare Pro-  
 phetas, qui non predicent peniten-  
 tiam. Prophetæ, inquit, tui vi-  
 derunt tibi falsa, & stulta, nec a-  
 periebant iniquitatem tuam,  
 vt te ad penitentiam prouoca-  
 rent.

Si concionanti forte quis rumor  
 obstrepat, patienter ferat, neque a-  
 nimo turbetur, vel iracundiam o-  
 stendat: ne dum patientiam alios  
 docet, se ipse palam refellat, quod ea  
 virtute careat. Meminerit, se ma-  
 iori

iori antea impedimento aliis fuisse, quo minus DEI vocem audirent, quam sibi nunc obstrepunt. Si quid dicto opus sit, vt rumor conquiescat, modeste id fiat, absque animi perturbatione, vt auctoritati simul, & humilitati locus sit.

In reprehendendis moribus, & vitijs prudentiam adhibeat, & modestiam: si enim verba animos offendunt, vel aspere, & acerbe id fiat, maius erit offendiculum, & detrimentum, quam emolumentum, & emendatio Prudentis est medici, catapotia inaurare, vt à debili stomacho suaviter accipiantur & quamuis inaurata sint, nihilominus operantur. Correctio fraterna sit cum candore, & in caritate, vt facile appartat, proficisci ab animo pio, vereque Christiano & commiserante, quique eius, qui reprehenditur, salutem querat, ostendant item, se

Kk s nemi-



neminem improbum existimare, aut notare, tantum cauere velle, ne huiusmodi peccata committantur, vel improbus sit. Verba itaque temperabit, vt si quis lesum se suspicetur, molesteque ferat, vere dicere Concionator possit, non eius causa dictum esse. Temperari autem correctio fraterna potest, & mitigari, allato aliquo loco, vel exemplo sacrae Scripturae, vel ex SS. Patribus, quibus eadem vitia reprehendantur. Vt enim non tu es qui loqueris, sed Spiritus sanctus; ita nec se iure lesos esse doctrina tua conqueri poterunt. Denique reprehensio commiserationem ostendat, non indignationem, aut odium cuiusquam. Habeat & personarum delectum, quas reprehendit; sic enim docet, iubetque Apostolus Paulus, senes vt patres, anas vt matres reprehendendas. Incredibile dictu est, quanto studio demon-

• Tit. 5.

luan-

Euangelico melli fel admiscere in re-  
 prehendendo conetur, vt multos hac  
 ratione ab audiendis concionibus de-  
 terreat, vel inuidiã, & odiũ zelotis  
 Ecclesiasticis conciliet. Si quãdo visum  
 erit necessarium saluti, & conserva-  
 tioni eius, qui corrigitur, vt vultus  
 detegatur, & cauteriũ adhibeatur,  
 & oleũ etiam suauitatis addendum  
 esse meminerit: sic .n. Deus olim du-  
 rũ Pharaonẽ accepit, quem & plagis  
 multis affecit; mox flagellũ auertit, vt  
 ad se rediẽs resipisceret, moresq; pla-  
 cide emẽdaret. Si inter concionandũ  
 loca occurrant, quæ tamẽ domi nõ co-  
 gitasset, nã temere proferat, tanquã  
 non satis matura. Solet enim demon  
 sæpenumero hæc suggerere, vt concio-  
 nantem turbet, vel auocet à re ali-  
 qua, de qua agebatur, cogitatione  
 rei non magni momenti: nisi forte  
 spiritus sui robur agnoscat, lumenq;  
 ingenij, & ad rem ipsam facere vi-  
 dea-

Exe. 8.

dea-

deatur, ut vel silentio rem prateri-  
 iſſe, ſcrupuli religionem iniicere poſ-  
 ſet. Quod ſi accidat, redeat ſtatim  
 ad ea quæ domo meditata attulit,  
 habito reſpectu celeſtis doctrine: ne  
 nimia ſui fiducia, ut ſit, in errorem  
 labatur.

Hæreſes, & errores, qui cum Ca-  
 tholica pugnant veritate, ne teme-  
 re, & ſine delectu tractet in ſuggeſtu  
 Concionator: propterea quod eorum  
 rudes, & imperiti, nihil his profici-  
 ant; & quamvis doceri poſſint, præ-  
 ſtat tamen non attingere. Scimus e-  
 nim maiorem eſſe demonis aſtutiã.  
 quam humanam prudentiam, &  
 vigilantiam. Prudentis itaque Ec-  
 cleſiaſtæ officium erit, robur addere  
 argumētis Catholica fidei, & cum ea  
 pugnans mendaciũ refellere alia via:  
 ut verbi gratia, cū ſe occaſio offeret,  
 confirmabit obedienciã Romanæ Ec-  
 cleſiæ debitam; firmabit que Scri-  
 ptis.

CONCIONANDI. 805

ptura locis, & rationibus virginitatis donum, calibatam Sacerdotum: enumerabit fructus Religionum, Religiosorum q̄; hominum: exaggerabit meritum bonorum operū, & pœnitentiæ: hortabitur ad obedientiam Principum, & Antistitum Ecclesiasticorum, & secularium: item de fructu indulgentiarum, tam pro viuis, quam pro vita functis: & intercessionis vtilitatem, & inuocationem Sanctorum commendabit, vt & cultum reliquiarum, & memorias illis consecratas. Et hæc quidem omnia prudens Ecclesiastes sancto Zelo ita temperabit, vt qui nouerit contrarios esse errores, intelligat qua ratione refelli possint: qui verò non nouerit, in sua permaneat simplicitate, & se ipse consoletur, habeatque ad manum, si forte intus, exteriusque tentaretur in fide, quo se tueatur. In prou. noijs verò heresi  
 contra-

contaminatis, non opus est hac cautione, sed aperte, tamen in caritate, & visceribus doloris, hereticorum fraudes, cecitatem, & erroris detegget. Quod tamen non aggrediatur in suggestu, nisi omnibus nervis ingenij, doctrina vi, & spiritu. & argumentorum pondere adhibito: ne, dum sanare vult, plus noceat, vsus infirmis argumentis.

Vitandum & illud, ne in corona hominum indoctorum agat de gradibus perfectionis spiritus, & de Orationis, & Contemplationis sublimitate: pauci enim intelligent, & multi animum in tanta luce despondent. Si enim videat se scopum non attingere, qui proponitur, vulgus se errare putat; suaque opera bona nullius esse meriti, & quae ceperant modica. Alij vero carnis serui illa irrident, nec facile assentiuntur: huiusmodi Orationis, & Contemplationis sublimitati. Sic

ti. Sic fit, vt & Concionator inanis gloria vitio periclitetur, & auditor vacuus domū. & aridus redeat. Consultū itaq; fuerit, vt doctrinā ad auditorū captū tēperet, ac moderetur.

Vitabit Auxeses, hoc est, exaggerationes nimias, & Hyperbolas, & laudes sine exceptione, & cōparationes odiosas de prestantia Sanctorum inter se: nec virtutes, vel opera, temere ita extollat, vt ceteris omnib. anteponat. Nam præterquam, hæc sine auditorum fructu dicuntur, si ad examen & trutinam vocarentur, negotium cōcionanti facessere possent huiusmodi exaggerationes. Tutius itaq; fuerit candidè loqui, & moderate.

Non satis sit virtutes laudasse, & Sanctos, sed & media ostendat, & viam, qua inuitari queant auditores: stendens interea spinas, qua viam illam ad eternam salutem impeditam reddunt. Via, quas ad virtutē patefa-

patefa-

patefaciet, multa sint, & faciles: Uj enim alias ingrediuntur.

Quo populum libentius se audire videt, & attentius, atque frequentius, eo audacius veritatem, in iis que oportet, exponat: vitia item, & abusus non taceat, memor illius Saluatoris nostri, qui quo die ab Hebrais honorificentius cum applausu, & ramis acceptus fuit, cantantibus illis, Benedictus qui venit in nomine Domini, eo ipso die eiecit è templo summa seueritate, & flagellis euentes, & vendentes.

Matth. 21.

Vitabit & illud, ne humano respectu, aut spe commodi adductus, & lucri, munus exerceat suum: nisi volet lepram peccatorum, quam à populo auferi, in se recipere, vt Gieso auaro accidisse legimus, qui lepram in se suscepit, quam Nahamo diuina gratia conuerso abstulerat.

4. Reg. 5.

CA.

## CAPVT VIII.

Dimissa concione, Concionatori quid agendum.

**F**INITA concione ubi se in cubiculum Ecclesiastes receperit, gratias agat DEO, quod opera sua in tam sublimi ministerio, vtilique fine, vti voluerit. Repetat memoria errata, que concionando commisit, vt se ipse humiliet, vtque alias eadem fugiat. Sic fiet, vt munitus sit aduersus laudes, & adulationes aliorum, & contra cecum sui amorem, & inanem gloriam: que apertis mendacijs fallunt, & excecant, nisi spiritus sit humilis, atque subactus. Vt autem se ipse humiliter cognoscat, suamque miseriam, effugiatque adulationes, dicat: Summe DEVS, quoties hodie contra me miserum peccatorem sententiam dixi! Quantum inter se pugnant apud me dicta, & facta! Tepidus  
ego,



SIO DE RATIONE

ego, & delicatulus, quam in alios seuerus sum excitando, & reprehendendo! contra in me quam mollis sum, & blandus! Mihi ipse quam facile ignosco, cæteris verò minime! Vide quo modo de Euangelica perfectione differere audeat, qui tam longe ab ea distat, violator præceptorum tuorum. Equidem leoni similis videor, qui cauda sua pedum vestigia delet: sic ego operibus, & vitæ vestigiis obscurare videor eam, quã verbo doceo, doctrinam.

*Luc. 1.* Si forte dicent amici, fructum te concionando referre, dic cum humi-  
*Ps. 44.* li Virgine Maria: Magnificat anima mea Dominum. & cum Propheta Regio: Dico ego opera mea Regi. Regis enim cælestis sunt omnia, quæ cæli ambitu continentur, ipsique omnis gloria debetur. Et  
hic qui-

CONCIONANDI. 81

*hic quidem fructus est grani in ter-*  
*ram cadentis, & mortui, cum ipse*  
*vult, & quantum ei placet. Nos*  
*verò serui inutiles sumus: & cum*  
*omnia fecerimus, quæ oportet,*  
*nondum satisfacimus. Si forte*  
*contra dici inaudieris, nullum ex tu-*  
*is concionibus fructum apparere, sa-*  
*tis tibi sit morem gessisse, imperanti,*  
*quæ res non modici questus est. Et de-*  
*cas: Saitem, Domine DEVS, quã-*  
*do nulli rei satis idoneus sum, te-*  
*stis esse possum, & præco diui-*  
*næ tuæ voluntatis, prædicans*  
*legem tuam ore meo homini-*  
*bus: vt iustificeris in sermoni-*  
*bus tuis, & vincas cum iudicaris.*  
*Illud quoque consolationis sit cogi-*  
*tanti, tametsi fructus non appareant*  
*hominibus, sepè tamẽ DEVM solere*  
*clã præcipere, corda auditorũ mouẽdo,*  
*quæ solus ille scrutatur, & videt, sub*  
*hominũ verò aspectũ non cadũt. Me-*  
*mine-*

Ioan. 12.

Luc. 16.

Ps. 102.

mineris & Apostolos, & discipulos  
IESV CHRISTI Euangelium pra-  
dicando per totum terrarum orbem,  
paucos saepe mouendo, modicum fru-  
ctum retulisse, quem post mortem il-  
lorum, tanquam ex semine natum,  
colligi DEVS voluit.

Audis fortasse murmur de te na-  
tum esse, caue turberis, si causam non  
dederis: immo gratias DEO age, qui  
audit detractiones & blasphemias,  
quas & ille concionatus in terris au-  
diuit, postquam & docendo, & agro-  
tes sanando omni bono de Iudaeis me-  
ritus esset. Et quamuis alij per te non  
profecerint, saltem tibi profuisse vi-  
deare concionando. Vide quantum  
te predicatione Euangelica obstrin-  
xeris, vt eadem quae alijs praeceperis,  
seruanda tibi esse scias. Si enim con-  
tra atque docueris feceris, similis eris  
sepulcris dealbatis, foris quidem al-  
bis, &

DE RATIONE CONC. 813

bis, & ornatis, intus verò ossibus, & fœtore plenis.

His, & similibus meditationibus humilem se Concionator seruet necesse est: & quanto erit humilior, tanto etiam maiores fructus reportabit, eritque gratior DEO Opt. Max. qui perfectissimus est Euangelicae prædicationis magister, & vnicus humilium Concionatorum Doctor: cui cum Patre, & Spiritu

Sancto laus, & gloria in  
sacula seculorum.

Amen.

F I N I S.



AD

FRANC. BORG-  
 GIAM IOANNES  
 VERZOSA CÆSAR-  
 AVGVSTANVS.

*Q*VALIS ab arce fluat stellantis gra-  
 tia cali

*In nostras & quanta animas, cum po-  
 scimus; Et nos*

*Respiciat CHRISTI bonitas, faciatque  
 beatos.*

*Exemplum, Franciscæ, exstas hoc tem-  
 pore rarum.*

*Borgia: qui donis Fortuna ingentibus  
 auctus,*

*Et titulis, summisque opibus mirabilis  
 olim:*

*Vt tua diuino sunt corda impulsa fauo-  
 re,*

*Ducebas qua pulchra, fugis; mentemq;  
 operosam.*

*Virtute ignota priscis Sapiētibus ornas.*

*Nec gustas quod dulce, nisi alium no-  
 men IESV,*

*Iacis: ut cui se omne genus: quantoque  
 libenter*

*Ponchæ*

AD FRANC. BORE. 815

Ponebas in Venatu, hippodromoque la-  
bores;

Æterna Unde ferunt Victores premia,  
ponis:

Nec positos ante esse doles: ex quo tibi  
rectum

Nosse datum, sanisque oculis discernere  
Verum.

Nunc Praeses post Loiolam gregis, atq[ue]  
Lainem,

Tertius electi, lata pietate, severis

Doctrinis, & traque rudi ad caelestia tu-  
tum

Christicolis ostendis iter; dubiaque in  
arena

Stare mones Unum contra tres quemlibet  
hostes.

Certe ego seu te contemplor, seu Verba  
ferentem

Ausculto sacra è suggesto: protinus o-  
mnis

In partes feror inde tuas, mutorque re-  
pente;

Vt vox amotum terris excelsa sub oras

Sublimem leuat aethereas: sic consonas  
tactis

Verba tua, & Verbis sic sunt tua conso-  
na facta.

A.P.

SIC APPROBATIO.

Libellus hic *De ratione concionandi, & predicatione Evangelica*, R<sup>di</sup> Patris FRANCISCI BORGIAE, Ducis Gãdiae, & Societatis IESV Præpositi Generalis Tertij, doctus, ac pius est, utilisq; futurus omnibus diuini verbi præconibus. Quare prælo committi tuto posse iudico. Datum Antuerpiæ, Nonis Nouemb. 1597.

*Silvester Pardo, S. Theologiae Licentiatus, Cathedralis Ecclesie Antwerp. Canonicus, librorumque Censor.*

*Liber societatis IESV Pardo.*